

**De aestu volatico. Dissertatio inauguralis medica / [Johann Kaspar Veielmann].**

**Contributors**

Veielmann, Johann Kaspar.  
Delius, Heinrich Friedrich von, 1720-1791.  
Universität Erlangen.

**Publication/Creation**

Erlangae : Elementis Jo. Diet. Mich. Camerarii, [1754]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/djgk6983>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

52499/p

85527  
(Heat)

DE  
A E S T V  
V O L A T I C O

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
QVAM

SVMMI NVMINIS AVSPICIO  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
D O M I N O

F R I D E R I C O  
MARGGRAVIO BRANDENBVRGI BORVSSIAE  
SILESIAEQVE DVCE RELIQA BVRGGRAVIO  
NORIMBERGAE RELIQA

CIRCVLI FRANCONICI SVPREMO CAMPI MARESCHALLO  
ET TRIVM LEGIONVM ATQVE COHORTIVM PRAEFECTO

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E

D. HENRICO FRIDERICO DELIO

SERENISS. MARGGRAV. BRANDENB. CVLMB. CONSILIAR. AVL.  
MEDICINAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
ACADEM. IMPERIAL. NAT. CVR. SODAL.

P R O L I C E N T I A

SVMMOS IN MEDICINA HONORES  
LEGITIME OBTINENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT

IOANNES CASPARVS VEIELMANNVS  
VLMA SVEVVS.

D. IAN. MDCCLIIII.

E R L A N G A E

ELEMENTIS IO. DIET. MICH. CAMERARII ACAD. TYPOG.

## HEBENSTREIT

*Carm. de homine sano et aegroto. p. 185.*

Vt resistentes sunt plus minusue liquores,  
Vt fuerint acres plus forte minusue liquores,  
Sic quoque vis cordis, nisi, maiore, minore,  
Ingruit, et vitae lu<sup>ct</sup>ando destruit hostem.

VIRIS

PERILLVSTTRIBVS GENEROSISSIMIS

MAXIME STRENVIS

*MAGNIFICIS PRAENOBILISSIMIS*

*AMPLISSIMIS PRVDENTISSIMIS*

S. R. I.

ILLVSTRIS ET LIBERAE REIPVBLICAE

VLMENSIS

PROCERIBVS

*DOMINIS*

DVVVM VIRIS

CONSVLIBVS

ET

RELIQVIS INCLYTI SENATVS

MEMBRIS

LONGE AMPLISSIMIS

*TAM MAIORVM QVAM PROPRIO*

*VIRTVTVM AC DIGNITATVM*

SPLENDORE

MAXIME CONSPICVIS

PRVDENTIA CVRA AC VIGILANTIA  
DE  
REPVBLICA SVMME MERITIS  
**PATRIAE PATRIBVS**  
PATRONIS SVIS GRATIOSISSIMIS  
IN DEBITAE OBSERVANTIAE ET COMMENDATIONIS SIGNVM  
HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM  
TAMQVAM STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS  
CVM OMNIGENAE PROSPERITATIS VOTO  
EA QVA PAR EST ANIMI SVBMISSIONE  
OFFERT ET DEDICAT  
**MAXIMORVM NOMINVM**

Cultor deuotissimus

Ioannes Casparus Veielmannus



# DE AESTV VOLATICO.

## §. I.



**B**ruma recurrente, hoc, quo de condendo opusculo deliberamus, tempore, varia est sanitatis conditio. Aëris partim inconstantia turbidi ferenique coeli vicissitudines, constans partim frigus, vario humana corpora mutat modo. *Frigus* hybernum praecipue damnant multi, sensibilem cutim, tendines, membranas adfici, coagulari humores, constringi poros, retardari se et excretiones, retineri impuritates, adeoque longam morborum seriem oriri inde, credunt. Neque ea prorsus negamus. Largimur potius horum malorum in otiosis, minus adsuetis, teneris, imbecilibus, prouentum. Sed satis eos felices, si commoda nos-

trédinem auerruncet, restituit frigus etiam, quod *aër calidus* saepe sufflammat, et non raro aufert, debitam scilicet solidarum partium tensionem eorumque robur; cum contra, aëre tepente, torpida et languida corpora, functionumque successus minus ordinati reddantur.

## §. II.

Inter varias autem aegritudines, quibus mortales hyberno tempore se adfici queruntur, paradoxam quandam *caloris sensationem* multi referunt, eo magis forte mirandam, quo magis igneae corporis humani partes, physica lege, in frigidioram auram transire, et sic *ipsius frigoris sensationem* producere soleant; sed et alio quoque tempore adficiuntur. Scilicet *subito se incallescere* dicunt, ita ut iste calor simul *ingratus*, et *plerumque cum palpitatione cordis, angustia praecordiorum, respiratione plus vel minus difficili*, aliisque ingratis concomitantibus sensationibus, iunctus sit. Breui autem aestum ad statum utcumque naturalem redire referunt, post incerta interualla autem eandem scenam ludente, ita ut mox palleant et horreant, paulo post repentino rubore iterum ardeant. Φλογωσιν, a ψλεγω ardeo, incendo, iam nuncupant, quo verbo veteres autem praesentem adfectum minus appellitare solebant. V. infra §. 4. AESTVM VOLATICVM communiter medici vocare solent, quos quidem in allegatione variorum morborum symptomatum satis occupatos, ut aestus volatici mentionem faciant, minus autem in descriptione, explicatione, diiudicatione et solida curatione sollertes deprehendimus. Nostri adfectum vocant: *Fliegende* vel *fliebende, jäbe*, etiam *aufsteigende Hitze*,

## §. III.

## §. III.

Nonnulli aestum volaticum, qui breui disparet, per omne corpus sentiunt, eoque quasi suffunduntur. Aliis haec vel illa pars repente calet. Multis facies subito cum calore rubet. *Sie seben auf einmahl gantz cramoisi aus.* In aliis genae tantum coccineo colore pictae apparent. Collum aliis turget. Aliis mitior et tolerabilis, aliis vehementior et molestissimus caloris subitanei gradus est. In elegantiori sexu maxima pars pectoris subito rubens aestum volaticum prodit. Alii praecordia, hypochondria sola alii, feminae praecipue infimum ventrem repente incallescere conqueruntur. Nonnulli simul tantos experiuntur angustias, ac si grande facinus commisissent: alii mali quid timent, quod immineat. Neque artus subitanei caloris expertes sunt. Vertigines vna alii accusare solent. Alii ob praecordiorum angustiam, interceptamque respirationem, confestim vestimenta laxare vel reiicere satagunt. Inquieti et anxii sub hoc statu aegroti sunt, suspirant. Pulsus communiter inaequalis creber et celer, interdum magnus, breui languidus.

## §. III.

Conuenit quidem phlogosis cum *erysipelaceis pathematibus*, in quibus non tantum repentinos calores accusant, sed inflationes etiam incertae magnitudinis sunt, nec vno tenentur loco, huncque saepiuscule mutant, qua de causa *ignem sacrum, currentem*, nostri *den Rotlauf, das Flugfeuer*, vocant. Sed quominus ad erysipelas aestum volaticum referamus, ipsa erysipelatis historia vetat, qua docemur, stasim vel stagnationem seri, saepiuscule sanguinearum particularum in cutis spiraculis, vasisque exhalantibus in erysipelate subesse, quae stagnatio irritationem,



haec congestionem et febriculam producit. V. PLATNER instit. chirurg. §. 166. Aestum volaticum vero non semper stagnatio in eo loco qui rubet et calet antecedit. Deinde quoque non tam cito ac phlogosis nostra erysipelas disparere solet. Interim notare adfectum singularem iuuabit, quo sexus sequioris praecipue subiecta corripit solent. Scilicet, vix mutato reliqui corporis calore, in facie, collo, pectore, manibus, in femore, subito surgunt maculae rubellae, crucigeri, grossi magnitudine, quarum efflorescentiarum praesentiam coniunctus ardoris et titillationis sensus statim prodit, vnde: *es beißt wie Saltz*, loqui consueuere. Breui autem disparent. Has forte *roseolas saltantes* appellaueris. De labiorum nariumque efflorescentiis, in acuto et chronico statu per varias causas erumpentibus, et varias prognoses determinantibus, nunc quoque non loquimur, quippe quae licet fere subito et cum calore efflorescant, longioris tamen durationis, quam phlogoses sunt, et vt plurimum in maiorem, vel minorem suppurationem abeunt, crustamque dein formant, quales exitus ad phlogosin itidem minus spectant. Alii obueniunt cutis morbi, in quibus non tantum calor ingratus et transiens obseruatur, sed in quibus etiam volatica loci mutatio obtingit, e. g. *herpes*, *serpigo*. Neque negamus, ob materias acres et irritantes in hisce adfectibus conciliari adfluxum, et auctum calorem. Sed latioris ambitus est ipsa phlogosis. Hinc minus a partibus veterum stamus, qui *phlogosin* pro *phlegmone* inprimis habuerunt, et efferuescentiam et dispositionem flammeam omnem ita in genere vocarunt. Cf. FOREST. L. I. *obs. chir. 4. Schol.* AN HIPPOCRATIS *επιφλογισμα* praesentem aestum volaticum denotet, quoque dubitamus, quum, ipsum potius erysipelas eum subintelligere, magis videatur.

## §. V.

Qui inter *febres* referre phlogosin satagunt, minus accurate agere videntur. Consuevere quidem multi, *febrem*, calidae in-temperiei morbum, et *calorem praeternaturalem* corporis humani appellare. Quam minus adaequata autem haec definitio sit, cum nimis lata sit, nec integram febris notionem exhauriat, non huius loci est vberius expendere. Cum autem in febribus inuasionem, statum, declinationem, periodum, typum praecipue, considerare oporteat, *p. princ. patholog.* ea omnia autem in aestu volatico minus euidentia sint, ad febrium classem eundem referre debere non videtur. Hinc quoque purpuram sic dictam *Scarlatinam* et *vesiculares* febres, quippe cum continuo magis aestu iunctas, cum aestu volatico non confundendas esse merito iudicamus. Si quis autem *motibus febrilibus* eundem adnumerare velit, non adeo contradicentes nos habebit.

## §. VI.

Considerantibus nobis *subiecta*, quae aestus volaticus vrget, varia omnino sese offerunt. Primo autem diu pro *scorbuti* symptomate vel signo reputatus est, cum subitaneus et momentaneus feruor scorbuticis soleat esse familiaris. Deinde *phthisicis* et *hecticis* praeter istum calorem, qui apud eos in consuetudinem iam abiit, etiam sub orthostadia, quantula ea esse potest, satis molestus est. In primis autem in longam illam signorum et ingratarum sensationum seriem refertur, quam enumerare quotidie audimus *hypocondriaco* et *hysterico* laborantes malo, et hoc quidem in simplici adhuc et recenti, magis tamen in eo, quod adultum iam et confirmatum est. Hinc qui et lautae diaetae et *vitae sedentariae* dediti sunt, et *viscerum infarctibus* et *scirrhis*, renum et vesicae calculo,

*calculo immo arthritide, eiusque speciebus, ischiadico malo, podagra cet. nec non flatulentia, itemque atrophia et vermibus laborant, communiter phlogoses vna accusant, Post pastum porro multi obseruant, sicuti et nonnulli post caffee potus vsum eodem corripuntur. Et grauidis saepenumero est familiaris.*

### §. VII.

*Malae conscientiae signum, repentinam erubescientiam, esse contendunt, ita vt ex illo:*

*heu quam difficile est, crimen non prodere vultu!*

argumentari, et, *saluam rem esse,* si quis, cum de illo agitur, *erubescat*, concludere liceat. Sed mitiores in iudicando esse malumus, ita vt id quidem, praecipue in morsibus conscientiae taciturnis, Ps. XXXII. 3. nec non in variis casibus, vbi confitentem reum optamus, non negemus; sed vniuersaliter verum, et in *casibus praecipue medico forensibus*, vbi de *indiciis* agitur, ita nude adplicandum non esse, tantum adfirmemus; siquidem ex aliis *animi pathematibus*, v. g. *gaudio, verecundia, pudore, ira, furore breui, misericordia, terrore*, calore ruboreque suffundi multos videamus. Excandescunt cum angustia alii, qui ex *sensibilitate individuali*, quam perperam *idiosyncrasiam* vocant, a variis, in conspectum subito productis, abhorrent, v. c. *caseo, beta rubra, feli, humano sanguine cet.* qualia saepiuscule tantopere, et ad sudoris vsque expressionem, sentire valent, vt, licet non semper videant, tamen earum rerum praesentiam vel viciniam vere iudicare valeant. *Aestum capitis* praecipue sentiunt, qui *odiosas vel intricatas res difficilesque tractare enodareque coguntur*, vel querelis aures, aliis negotiis distracti commodare, *responsionesque aegre ferre debent.* Hinc saepius audimus:

*Einem*

*Einem den Kopf ganz vvarm machen.* Repentina negotiorum susceptio, dum, vbi vix coeptum consilium est, in noua fert animus, cum repentino feruore iuncta esse solet, vnde in nouarum, inconsuetarumue rerum praecipue ordinatione et executione, quod principium ferueat, saepe obseruamus. Et rhetores et poetae, et in disputationibus acriter pugnantes, variam dum

- - - mens agitat molem,

- - - vt speciosa dehinc miracula promant,

per saepe repente calescunt. Huc vagus et inconstans forte referendus est aestus iuuenilis, et eorum, qui, vt in prouerbio est, primos motus non habent in potentia.

### §. VIII.

*Naturalis* corporis humani calor particularum ignearum motum supponit, quarum separatio, seu liberatio a contactu, quem inter sese et cum aliis partibus habent, tum est necessaria. Hanc liberationem, et actionem, quae sequitur, duplici fieri posse modo iudicamus. *Primo* enim auctus particularum sanguinearum, quas minus adaequate globulos sanguineos vocant, cum irregularem, polyedram, sphaeroideam saltem, earum figuram microscopia aperte monstrant, motus intestinus attritum et frictionem inter se inuicem et ad vasorum latera producit, quae motu vasorum tonico, et inde pendente sanguinis progressiuo, porro praecipue actuatur. Inde euoluuntur igneae particulae et liberantur. Igneas autem particulas sanguini inesse constat, si sulphuream et inflammabilem eius indolem satis notam consideramus. Adiuuat attritum et frictionem satis fortis pulmonum in sanguinem, qui omnis per eosdem traiecitur, actio, V. Cl. HALEs *Haemastatic: edit. germ.* p. 86. 88. DE HALLER *physiol.* §. CCCIII. quod praeter peculiarem sanguinis constitutionem, qua secundum LEVWENHOEKII obseruationes, aquatilia plus feri, minus rubicundarum

particularum, alant, magna ex parte ex eo videre est, quoniam animalia marina, nisi duobus cordis ventriculis gaudeant, et notabilem hinc sanguinis in pulmonibus patiantur alterationem, frigent. *Deinde salum, imprimis vrinosorum, actionem in sanguinis particulas sulphureas, indeque pendentem dissolutionem, ignearumque liberationem, dum calor actuatur, minime excludimus. V. ill. HAMBERGERI physiolog. §. 34. 37. et EIVSD. Diff. de calore humano natural. Ita combinantes phaenomenorum rationes vix errabimus. V. ill. PRAESID. animadu. de irritabilitate §. XIV.*

### §. IX.

Hunc naturalem, et C. H. proficuum, calorem homines, quibus inest, vix sentiunt, ad minimum, commode ferunt. *Praeternaturalis* autem calor ingratum exhibet et molestum *aestus* sensum. Auctae ergo omnes conditiones §. 7. calorem praeternaturalem generant. Praeter autem ea non excludenda alia quoque caussa videtur. Scilicet ardoris sensum etiam experimur, quando *nerui*, sensus organa, certo modo exstimulantur. Sic v. c. applicata septica, peregrina in vulneribus, vlcerosa acrisue materia, integumento orbata cutis, irritatio a calculo, pruritus, variaeque externae laesiones, cet. caloris sensum producant, licet in principio ignearum particularum liberatio non adesse videatur, quae tamen ob sensationem et irritationem, a sequente *congestione* versus irritata loca actuatur.

### §. X.

Sed de subitaneo calore praeternaturali, et per breue tempus durante, loquendum nobis est, et demonstrandum, quo pacto

paſſo *aestus* hic *volaticus* oriatur, et vnde iterum *evaneſcat*. Atque hic utique partium fibroſarum et motus ſanguinis progreſſivus, ut plurimum particulariter auctus, et inde pendens particularum ſanguinearum rapidior motus, hinc ignearum citior liberatio in cenſum veniunt.

### §. XI.

Quando progreſſivus ſanguinis motus §. 8. concitator eſt, aut *ſtimulus*, vel *dolor*, aut impedimentum aliquod ſubeſt, quod urgeat fortioſorem cordis et vaſorum motum, ſaepeſcule ad id remouendum; aut nimis reſolutus et fluxilis admodum ſanguis rapidiorem eiſdem et faciliorem motum concedit; aut denique ex animi ſtatu vario et repraeſentatione boni vel mali, quatenus id vel verum eſt, vel fingitur, oriuntur vehementiores motus, quibus vel ingratum remouere, vel cum grato vniri cupit. V. BOERHAAV. Inſtit. med. §. 573. et *Praeleſt.* Tom. III. p. 448. 449. Quodſi itaque impedimentum aliquod ſubeſt, quod debitam ſanguinis circulationem remoratur, tum ex maiore niſu et actione verſus id, quod impedit, ex cauſſis §. 8. 9. oritur maior ignearum particularum euolutio et liberatio, et ſi impetus urgeat, et vehemens fuerit motus, *aestus*. Hic autem, ſi cedit impedimentum, et ſic tollitur cauſſa morbi, tollitur quoque. Hinc breui tranſit, et *aestus* fit *volaticus*, qui vero denuo ſentitur, ſi denuo conditiones, quibus actuatur, adſunt, et iterum ceſſat, ceſſante labore qui propter obſtaculum geminauerat, *aestum*. Ita quoque cum aliis modis, quibus *aestus* hic maris microcosmici, abſque ordine, concitatur, comparatum eſſe iudicamus. Stimulo omni, qui vel fibrarum oſcillationem et

tonum, vel sanguinis intestinum motum augebat subactio vel cessante, cessabit eiusdem effectus, praeternaturalis calor. Tranquillo iterum et sedato animo, vel potita re, quam appetebamus, vel abacta, quam auersabamur, vel exantlata, quam moliebamur, mitescit, qui subito ortus erat, aestus. Si ob actuandas nonnullas se-et excretiones §. 6. 12. 15. 17. auctiores motus, eorundemque effectus, volaticus aestus, oriuntur, cessat etiam, secuta secretionem et excretionem, vrgens labor. Hinc apud eos, qui prae tristitia et moerore lacrymare queunt, faciliorem aestus et angustiae transitum obseruamus, dum

*expletur lacrymis egeriturque dolor.*

Et illi, quos curae angunt atrae, quibus hoc vel illud, quod animo voluunt, verbis exprimere datur opportunitas, leuiora experiuntur. *Es vvir d ihnen ganz leicht ums Herz, vvenn sie etwas von sich sagen können.*

### §. XII.

Inter potiores aestus volatici causas, et liberioris sanguinis impedimenta, *obstructio* vasorum sanguiferorum, seu potius, cum illa et vera non admodum ita frequens sit, vt creditur, *stagnatio*, numeranda est. Haec faciliori negotio euenit, praesente *plethora* et inde pendente *sanguis spissitudine* et *secretionum languore*. In hac enim difficilior transitus per vasa, eorundem maiorem actionem desiderat. V. Excell. PRAESID. Diff. *de vena caua plena malorum*. §. 8. 9. 10. Hinc oritur effectus, concitator humorum motus, calorem maiorem produ-cens. Hinc plethoricis et spissitudinariis satis familiaris volaticus aestus est. Ob stagnationes et obstructions, et inde ortam resi-  
stentiam,

stentiam oritur maior cordis et vasorum reactio et impetus, et celerior motus per reliqua vasa libera. Hinc maior attritus particularum sanguinearum inter sese, et ad vasorum latera. V. BOERHAAV. *de cogn. et cur. morb.* §. 120. VAN SWIETEN *commentar.* T. I. p. 648. Ex maiori actione in vasa oritur eorundem dilatatio, et ad nouam contractionem stimulus, adeoque ex earundem noua actione motus nouus progressius et intestinus, et *calor celer.* Hyeme humores spissescere auge-rique plethora solet. Hinc *p. demonstr.* hyemali tempore, aestus volaticus satis frequens esse potest. §. 1. 2.

## §. XIII.

Cel. DE SAVVAGÈS, licet calorem ab attritu deriu-uet, *diss. de inflamm.* p. m. 261. et not. ad HALES *haemastat.* p. 114. et 87. tamen ex obstructione nequaquam velociorem motum et auctum calorem deriuandum esse, statuminare videtur l. c. p. 260. 261. et ad HALES. 132. ex eo potissimum, quia obstructis partibus decrescat actio earum, et pereat, ob maiorem inertiam, noui irruentis fluiti impetus, et oriatur potius frigus. Paradoxa videtur sententia. Sed, quod pace *cel.* et *acutissimi Viri* dixerimus, inter ipsum obstructionis locum, de quo fere dicta valere possint, et inter reliquarum liberius agentium partium, ex hac resistentia ortam, nouam actionem, vel congestionem, §. 9. distinguendum nobis esse videtur. Hanc et saepiuscule factam per eam obstructionis reserationem, quam liberior circulus excipit, ipsamque liquidorum per vasa adhuc libera redundantiam putamus, ex qua determinetur celerior humorum motus, et, qui inde sequitur, aestus volaticus. Neque autem sola subitanea circuli celeritas actutum actum



volaticum comitem habet. In frigore enim febrium intermit-  
tentium etiam adest celeritas, ex pulsu cognoscenda. Sequitur  
autem aestus, liberatis partibus, quorsum congestio directa erat.

#### §. XIV.

Egregie dicta *hypochondriaci* et *hystericae* confirmant. Tales  
praecipue qui spissos alunt humores, vel iam infarctibus et scir-  
rhis, praesertim lienis et hepatis, laborant. Conf. cel. IVN-  
CKERI *therap. special.* p. 351. GOHL. *prax. clin.* p. 233. qui-  
bus iunge LOMMIVM *Obs. medic.* p. m. 64. qui de *υπερσυσ-  
τημης* et melancholia laborantium *praecordiis* asserit, quod *inter-  
dum calore ferueant*, quique in repentinis humorum in praecor-  
dia confluxionibus pulsum maxime inaequalem, vti in vasorum  
obstructionibus, et si aliqua re impedita oppressaque natura est,  
oriri, recte iudicat p. 284. In his enim lentor cruoris et fac-  
piuscule stagnationes in visceribus abdominalibus exposcunt ci-  
tatiores motus. *Volaticum autem aestum* ex secuta etiam ex hisce  
motibus ventilatione et liberatione, et expeditione eius, quod  
stagnauerat, deducere possumus. In primis, praesertim apud  
eos, qui vitam sessilem et meditabundam agunt, et diluendo  
sanguini per potum sufficientem minus vacant, maior sanguinis  
spissioris copia, tali ratione ad venam caavam et per eam ad  
dextrum seu anteriorem cordis ventriculum delata, nouum  
stimulum suppeditat, ex quo cor, stimuli impatientissimum,  
palpitet, et nouiter fortius agat. Inde sequitur maior sangui-  
nis frictio et aestus, tandiu durans, donec dissipatus, dis-  
cussus et aequaliter distributus fuerit redundans sanguis. Minime  
autem haec ita interpretanda esse volumus, ac si omnem mali hypo-  
chondriaci et hysterici causam in sanguinis spissitudine solum  
pone-

poneremus. Ex variis etenim causis illud pullulare apprime nouimus, inter quos et saepiuscule nimiam humorum tenuitatem et neruorum peculiarem sensibilitatem, quam *erethismum* iam vocant V. Cl. de SAVVAGES *pathologiam methodicam*, p. 59. 60. merito referimus. Hae autem etiam aestui volatico anam praebent, §. 8. 9. et eo facilius, quo magis in hoc polymorpho malo, plerumque non vnum abdominalium viscerum patitur, et exinde *ex intercostalis et vagi neruorum paris*, haec viscera perreptantis, pressione, tensione, stimulo, velociores et aliarum partium motus oriuntur.

## §. XV.

Eadem ferè ratione *haemorrhagicae congestiones* variae phlogoses inducunt. Siue enim narium haemorrhagia, siue haemoptysis, siue haemorrhoides, siue menstruus feminarum fluxus aut instant, aut minus rite, vel plane non, succedunt, ex impedito, tum subito aucto, motu, nunc facies rubet, nunc respiratio difficilis et pectus calidum est: his praecipue abdomen feruet: qualem cum variis spasticis contentionibus iunctum adfectum pro motu vteri locali, *la matrice se remue*, falso saepe habent.

## §. XVI.

Sed et ipse diuturnus sanguinis aestus nouum secuturi postea volatici aestus occasionem praebere potest. Ita enim humores nostri comparati sunt, vt lymphatica pars fere oui albumen referat, DE SAVVAGES *de inflammat.* p. 282 PLATNER *Chirurg.* §. 43. quae nimio calore condensatur et coagulatur, praesertim si humores celerrime moti ad quietem subito redeant.

Hac

Hac ratione generantur nouae obturationes vasculorum, et ipsa fibrosa et membranacea concrementa, veluti talia e proprio et aliorum animalium sanguine eduxit RVYSCHIVS. V. *The-saur. anatom.* 6. *aff.* 1. n. 7. Haec ergo concrementa nouiter sanguini transeunti obicem ponunt, et citatiorem motum produ-cunt. Hinc ipse cordis aliorumque viscerum *polypus*, siue tali ratione, siue a copia gelatinosi et spissioris et magis cohae-rentis compactique sanguinis ortus fuerit, aestus volatici causa esse potest.

### §. XVII.

*Flatus* quomodo quantumque angustare eos possint, in quo-rum intestinis detinentur, in aprico est. Distensio enim intestinorum laxorum, pendens ab elastico hoc aere, efficit, vt non tantum vasa intestina perreptantia comprimantur, humorumque per ea transi-tus difficilior iusto reddatur, sed et nouiter appulso sanguini re-mora iniiciatur. Hinc ope nouae fibrarum intestinalium stri-cturae vehementius ad maiora vasa reuertitur retentus sanguis, tum ex hac repletione, maior vasorum nisus, maior inde sangui-nis et subitanea frictio, et volaticus aestus oritur. Ex magis angustato autem thorace, a conuexo magis, ob tumidum flatibus ventriculum, connexaque intestina, versus pectus diaphrag-mate, indeque pendente respirationis difficultate, etiam sangui-nis per pulmones motus minus liberior existit, hinc aucta cor-dis actio denuo, quae ingrata ex impedimentis orta sensatio, qua fieri potest ratione, remouenda est. Hinc in flatibus vexa-tis calorem subitaneum cum faciei inflatione, pulsuque irregu-lari, cum suffocatiuis pathematibus animaduertimus. Hae fla-  
tuum

tuum fallaciae, et inde ortae circuli alterationes eo aegrotos deducunt, vt e restagnatione sanguinis ad dorsum, ad pectus, ad caput, credant: *die Blæhungen steigen ibnen in die Brust, zum Kopf, traeten nach den Obren. cet.* Inde quoque euenisse vero admodum simile est, vt faciei ruborem cum calore ab adscensu vaporum deriuarint olim et medici et aegroti, et adhuc dum, gallico idiomate, adfectum hystericum *vapeurs* nominare consueuerint.

### §. XVIII.

Mali intestinorum hospites, *vermes*, in hoc sensibili canali frequenter ingratiſſimas sensationes excitant. Neque quemquam celeberrimus intestinorum consensus cum reliquis C. H. partibus latet. Sufficiat, ex orto hoc in his sensibilibus partibus stimulo deducere frequentem etiam neruorum vellicationem, quam eorundem noua actio in vasa, et auctus humorum motus, et *nouus calor* excipit. Immo frequens et repentina coloris faciei mutatio huic a vermibus ortae sensationi originem debet, quippe qui variorum malorum, et huius, occultae causae existunt, id quod saepius a posteriori experimur: dum ab excreta forte verminosa colluue pristina pathemata cessare animaduertimus, quae, et apud adultos vtriusque sexus, aliorum quae-renda fuisse iudicabamus.

### §. XIX.

Ex impedito sanguinis per abdominalia viscera transitu, et velociori postea redundantia versus dextrum cordis ventriculum §. 11. 14. 17. vix aliter esse potest, quam vt in venae cauae sacco noua oriatur restagnatio, cum per venam cauam superiorem ad eundem redeuns sanguis hic maiorem iam mo-

lem et resistantiam inueniat, hinc difficulter in dextram cordis auriculam dextrumque ventriculum influere necesse fit. Lacescitur hinc sensibilis cordis auriculaeque caro, et ad varias contractiones ingratas stimulatur. V. b. WALTHERI diff. *de erubescensibus*. Retentus ergo in radicibus venae cauae superioris, V. diff. PRAESID. *citat. de vena caua plena malorum* §. 7. et 14. sanguis ipsa vasa distendit, ad nouam reactionem sollicitat, et nouam frictionem experitur, quae iterum volaticum aestum producit.

### §. XX.

Omne ergo quod subitaneum languinis, versus superiora praecipue, motum determinare valet, aestum volaticum, in facie imprimis conspicuum, producere poterit. Sic v. g. in repentina corporis pronatione, *im geschvinden Bucken*, nec non in vehementiori nixu sub *alui difficiliore exoneratione*, et *partus exclusione*, facies cum rubore calet. In *dentitione* infantum *difficili*, ex maiori versus alueolos, quibus occultantur dentes, congectione, non tantum gingivae ardent, sed etiam vicinae partes repente incalescunt. *Acrium, volatilium, oleosorum* gustatio et retentio in ore, et titillatio eorundem in naribus molestum faciei calorem inducunt. Hinc qui minus adueti fumum nicotianae generosioris, quem *canaster* vocant, fugunt, qui spiritum vini aromatizatum, *ros solis, aqua vitae, aqua carminatiua*, cet. dictum, et *vina meraciora* hauriunt, qui raphanis armoracia, cepis, sinapi, pipere vescuntur, caloribus volaticis subiiciuntur. *Conf. §. 9.*

### §. XXI.

In *animi adfectibus*, iis praecipue, in quibus pro re nata et motis per obiecta sensibus, oritur motus a centro ad peripheriam,

pheriam, ex subitanea vasorum repletione obtinet aestus volaticus.  
In ira, e g.

*ora tument, nigrescunt sanguine venae*

*Lumina Gorgonio saevius igne micant.*

OVID.

Videmus, inprimis apud cholericos, quos strictius ita vocamus, quibus subtiliores fortiusque tensae sunt solidae, et agiliores fluidae partes, omnes tum eo intentos esse cum odio motus, ut quodvis internum et externum et ingratum impedimentum remoueatur. Conf. *Cel. KRUGERI diaet. p. 417.* In pudore, peculiari moestitiae metus et iracundiae miscela, impeditum observamus sanguinis, ad superiora per arterias congesti, a capite per venas reditum, quo replente minora vasa genae rubescere et incallescere coguntur. V. de HALLER *diff. de nervor. in arterias imperio.* Hinc erubescens tales, dum fluctuat animus, expalentes, inconstanterque loquentes animadvertimus. Cf. §. 7. II. In amore, gaudio, admiratione, quibus subito corpus, caput praecipue, incalescit, prout aliquid desideramus cupidi, augeatur sanguinis motus progressivus et intestinus, quo uniri cito cum re, quae grata nobis est, vel videtur, vel, quantum placeat, declarare, intendimus. cf. §. II. et PRAESID. *theor. princip. sensat. sequ. motus sensat. proportionat. §. VII. IX. XV. et Theor. toni. p. 22.*

### §. XXII.

Post pastum multos phlogoses vexant, quibus praesertim hypochondriaci obnoxii sunt, veluti id ETTMULLERVS *libr. de malo hypoch. et scorb. testatur, dum: Et ventriculi dolores, inquit: saepius post cibos ingestos se exserunt, idque pertinaciter, subinde ut vix nisi post ingestorum reuomitionem remittant phlogoses et aestua-*

*tiones hypochondriorum, hinc rubor faciei et malarum item calores vagi, modo remittentes, modo adcedentes, vexant aegros: in specie post dimidiam a pastu horam subinde elegantes habent malas, qualis rubor etiam interdum vnico vini haustulo superuenit. Vario has modo explicare conantur. Nobis non vnicam subesse causam videtur, sed variam symbolum adferre. Aliquid huc auiditas et appetitus et ipse maxillae per suos musculos motus, et deglutitio velocior facit. Repletus deinde ventriculus, sursum diaphragma premendo, pectus angustat, et citatiorem sanguinis motum efficit. §. 17. Refluus sanguis restringitur, cuius inde maior oritur frictio, et ignearum particularum euolutio. §. 8. et 19. Et distento ventriculo gastrica quoque vasa comprimuntur, oritur in iisdem renifus, et sanguinis perflui maior affricus. Nouus postea adcedens ad sanguinem chylus, et ipsa alimeuta et potulenta in gustus organo, et ventriculi orificio superiori stimulant, et citatiore motus, et alios adhuc aestus - - - producant. Ea in statu naturali fere fiunt, molestae autem sunt phlogoses quando praeterea adsunt in C. H. impedimenta, velociore motus inducentia. §. 13. 14. Horripilatio nonnullos post pastum corripuens facile a strictura reliquorum vasorum et congestione liquidorum debitorum versus ventriculum et intestina, quibus digestionis negotium facilitetur, deriuanda est, qua vero facta hanc, ob necessariam iterum discussionem, aestus sequitur. Miramur autem lapsum nonnullorum et non infimi subsellii physiologorum et medicorum, qui et inclinationem ad somnum, et pigritiam et aestum post prandium a pressione arteriae aortae, facta a ventriculi postica parte, deducunt. Hi enim vix genuinum ventriculi, praecipue repleti, situm considerare videntur, cum aorta post*

arcum

arcum, seu curuaturam minorem ventriculi sita, ex sapientissimo creatoris instituto, minus comprimi inde queat.

§. XXIII.

In *febris continuis*, praeter eundem calorem continuum, saepiuscule obseruamus eiusdem volaticam auctiorem. Ille quidem aestus, in rubicunda facie potissimum conspicuus, qui cum exortus semel est, diutius permanet et magis constans est, quemque neque narium haemorrhagia, neque alia salutaris excretio sequitur, mali ominis esse solet, HIPPOCR. *Prorrhbet.* L. I. 48 et delirii vel conuulsionum metuendarum indicium: sicuti flammis etiam in soporosorum facie color cum sudore in his malignus est. *Praenot. Coac.* 7. Neque vagi calores, aestusque et frigoris frequentes vicissitudines omnino bonum signum praebent, cum vix hoc modo peccans materia debite ad *crisin* praeparetur, quae tum vel incompleta redditur vel differtur, et morbi longitudo significatur. V. HIPPOCR. *apborism.* L. IV. 40.

§. XXIII.

*Scorbuticorum* phlogoses ex ipsa scorbuti indole et causa proxima explicandae sunt, quae potissimum in eo ponitur, ut sanguis et humorum indoles partim crassa, grumosa, viscidaque, partim corrupta, acris, salsa sit. BOERHAAV *apbor.* 1153. IVNCKER *therap. special.* p. 753. Hinc saepe ob liberioris circulationis remoram, et ob seri lymphaeque et ipsius cruoris salinam corruptionem, indeque obortum stimulum, volatici aestus oriuntur: quae eadem fere, debito simul habito discrimine, est ratio vagi caloris *scabiosorum*, eorum qui praeter ea *gutta rosacea* et *varis*, nec non corruptionibus ab *acri Venere* pendentibus, laborant. Sed cum verus scorbutus minus in terris nostris, aëre et solo puriori gaudentibus, proueniat, et maris accolis magis sit familiaris BOERH. l. c. 1148. *seqq.* cauendum omnino est, ne, ut perperam solet, hypochondriacorum pathemata a causa scorbutica ineptissime deducantur, haecque in minus felici curatione foedum statuatur asylum. *conf.* §. 14.



## §. XXV.

Aliquando euenit, vt aegroti, qui aestus volaticos accusant, *sie seyen so echaufirt*, eundem per ruborem externum vix significant, sed magis palleant, et hoc paradoxon mirentur phaenomenon. Sed aut laxioris magis et phlegmatici habitus hi sunt, aut simul adest versus interna, vt in terrore, vel alium quendam locum *congestio*, quae simul strictionem et pressionem in remotioribus partibus p. *princ. hydraul.* ad eam actuandam exposcit. Hinc dicere eos audimus: *Es schieffet mir auf einmahl ins Creuz, in die Knie, es fällt mir aufs Herz.*

## §. XXVI.

Ex dictis facile colligitur, *aestum volaticum* inter morborum *symptomata* referri debere. Hinc quo magis et quo saepius is vrget, eo magis ad caussarum, vnde oritur, §§. *anteced.* grauitatem concludendum est. Hoc autem merito supposito, non in symptomate solo curando, sed in tollenda symptomatum *caussa* occupatum medicum esse oportet. Hinc, pro re nata, imminuenda plethora, resoluendus spissior iusto sanguis, expediendum liberum sanguinis iter, referandi infarctus et obstructions, remouendi alii stimuli, promouendae se-et-excretiones, praecauenda ex abusu calefacientium damna, discutiendi flatus, moderandi animi adfectus, expellendi vermes, conseruanda demum debita et naturalis minimeque molesta fluidorum et solidorum actio et reactio, ea quidem ope, quae in potestate artis medicae sita est, quaeque e fonte dietetico, pharmaceutico et chirurgico abunde peti potest. Interdum quidem docta plus valet arte malum, at quam multi a morbis eorumque molestis symptomatibus et aestu volatico, quem tantopere accusant, quemque nullis temperantibus plane extinguendum esse, iniuste dolent, immunes esse possent, si ad rectae rationis dictamen, et solidas vitae regulas, secundum quas est, optime viuere, vitam componere vellent!

TANTVM.